



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Cap. V. Concilium Burdigalense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

concursum ad Beneficia Curata. In eod. Titulo describitur aliquid è Tridentino, quod non laudatur.

Matrimonium.

Hoc peculiare est TITULO de *Matrim.* quòd Synodus ad verbum referat Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonia Clandestina, quod Synodus præcedens adoptare timuerat, ejusque executionem decernere. Eidem Decreto jungit plura loca Caputum sequentium ejusdem Sessionis; specialiter circa Tempus prohibitum, & limitationem Impedimentorum, tum Cognationis spiritualis, tum Affinitatis per viam illicitam, necnon honestatis publicæ ex Sponsalibus provenientis.

TITULUS de *Seminario* evidenter tendit ad executionem Cap. 18. Sess. XXIII. de *Reform.* nam, præterquam quod laudatur Tridentinum, plura Capita ex eo sumpta sunt.

TIT. de *Clericis* in genere laudatur Decretum Concilii Tridentini contra Clericos concubinos, caveturque, ut contra eos, ratione in eo præscripta, procedatur.

TIT. de *Monast.* inserta fuere quædam Decreta Concilii Tridentini Sess. XXV. de *Regular.* Primum respicit Confessionem & Communionem Monialium semel in Mense, & extraordinarios Confessarios bis, terve in anno concedendos.

Concilium Tridentinum ter laudatur TIT. de *Curat.* 1. Cavetur, ut juxta dispositionem Concilii Tridentini, sententiæ circa Portiones congruas executionem, non obstante Appellatione, fortiantur. 2. Dicitur, intentionem Concilii esse, ut Parochi non residentes dictâ Portione congruâ non fruantur. 3. Præcipitur iisdem Parochis, ut commissum sibi Gregem erudiant juxta Doctrinam contentam in Catechismo ex jussu Tridentini confecto.

Statuta Tridentini circa Canonicos, eorum Residentiam, vel Absentiam, distributiones, honores, quos debent Episcopo, inferuntur TIT. de *Capite & Canon.* Decretum Tridentinum contra Clericos concubinos nominatim applicatur Canonicis eidem vitio obnoxiiis.

TIT. de *Episcopis*, visuntur quædam Decreta Concilii Tridentini circa officia Episcoporum: putâ, residenti, vitandi luxum, frugalitatem servandi, impediendi alienationes vetitas, & invigilandi, ut licitæ fiant juxta Legem. Sunt quoque nonnulla circa eorum jura; putâ, ne quis sine eorum licentiâ concionetur.

Cum Tridentinum pluribus in locis de simonia egerit, pluries quoque laudatur à Rhemenfi Synodo TIT. de *Simon.* 1. Hæc prohibet, ne quidvis pro Ordine exigatur, excepto jure Secretarii seu Notarii, ad decimam unius Aurei partem restricto. 2. Ne quid à Canonicis exigatur pro jure ingressus. 3. Ad obvian-dum simonia: in receptione Monachorum & Monialium, vetat, ne Monasteria plures admittant personas, quam alere possint.

Cap. 3. Sess. XXV. de *Reform.* describitur TIT. de *Jurisdictione*, ubi prohibetur, ne ii, qui non habent talem potestatem, Monitoria concedant, vel excommunicent, neve ea concedantur aliis, quam ex causis gravibus, decerniturque, ut excommunicati, qui annum transigunt non petendo absolutionem, suspecti sint hæreseos.

## CAPUT V.

### Concilium BURDIGALENSE.

Concilium hoc habitum an. 1583. Concilium Tridentinum expressè laudat Cap. 5. decernitque executionem Decreti vetantis, ne Missa celebretur in locis ab Episcopo non approbatis. Eiusdem mentionem facit Cap. 8. præcipiendo Parochis, ut ejusdem Concilii Tridentini Catechismum assidue tractent; item sequitur Decretum circa numerum Patrinorum, & restrictionem Cognationis spiritualis, Cap. de *Baptismo*. Loquendo de Penitentia laudat Decretum Tridentinum, vetans cuicumque Presbytero, ne Confessiones

audiat, nisi Parochus sit, vel ab Episcopo approbatus. Ibidem plura alia Decreta Tridentini non laudati referunt. Primum versatur circa institutionem Penitentiarum in singulis Ecclesiis Cathedralibus: aliud circa penitentiam publicam peccatorum publicorum: tertium respicit casus reservatos.

Agendo de Sacramento Ordinis, jubet observari Decretum, quod præscribit Ætatem Ordinibus Majoribus competentem, illudque nominatim laudat. Tum plura alia Decreta ejusdem Concilii non laudati referunt. Tale est Decretum circa qualitates ad Tonsuram requisitas: tale etiam Decretum circa Titulum Clericalem: tale est, denique, Decretum prohibens, ne quid pro Ordinibus exigatur, exceptâ aurei parte decimâ Notario concessâ.

Loquendo de Matrimonio, decernit executionem Decreti 1. de *Ref. Matr.* illudque è verbo ad verbum refert, & dicit, se id facere, quia medetur abusibus circa Matrimonium. Ibidem plura alia Decreta Concilii non laudati adoptat circa Cognationem spiritualem, & Affinitatem ex illicitâ copulâ provenientem. Quoad Decretum circa Impedimentum publicæ honestatis, res aliter se habet: nam Concilium laudat illud nominatim.

TIT. de *Episcopis*, cui plura Decreta Tridentini circa Episcopos inserit, quædam laudat, quædam non. Laudat Decretum circa Episcoporum frugalitatem & modestiam, quoad vestitum, & suppellectilem: laudat quoque Decretum circa Episcoporum Consecrationem: refert Decretum vetans, ne Episcopi cognatos suos è relictibus Ecclesiasticis ditent, non laudato Concilio Tridentino.

Loquendo de Canonicis, jubet observari quædam Decreta Tridentina circa Ætatem ad Dignitates requisitam; Ordinem requisitum ad suffragium in Capitulo; ordinem unicuique Præbendæ assignandum; tempus Servitii; causas excusationis ab assistentiâ ad Officium; distributiones ob id debitas, laudatque Concilium his verbis, proinde *Sacri Tridentini Concilii Decreta recolentes statuimus* &c. Ibidem refert Decretum Tridentinum vetans, ne spurii Clericorum filii Beneficium, vel Officium aut Pensionem habeant in Ecclesiis Patrum suorum, non laudato Concilio.

Eiusdem Tridentini meminit in duobus locis, TIT. de *Paroch.* 1. Præcipiendo Parochis, ut Dominicis ac Festis diebus aliquid è Catechismo Concilii exponant. 2. Jubendo, ut conficerentur Tabulæ Matrimoniorum contractorum circa formam Tridentini. Idem Concilium, loquendo de Residentiâ Pastorum, decernit executionem Concilii Tridentini circa Residentiam Episcoporum, & Curatorum; illudque laudat ac refert: *Merito itaque, Sancta Tridentina Synodus veterum Patrum Decreta innovans, sancit...* &c. *Nos cum tam salutare & necessarium Decretum, aliaque generis ejusdem velimus in nostrâ Provinciâ diligentissimè observari. Statuimus.*

Agendo de Prædicatione, Decretum Tridentinum laudat circa obligationem prædicandi in Episcopis & Parochis; *autoritatem Concilii Tridentini... secuti.* Cum loquitur de vitâ ac moribus Clericorum, & statuit observanda circa Clericos impudicos, Tridentini autoritate utitur, in eo quod dicit, cognitionem & punitionem incontinentiæ Clericorum pertinere ad Episcopum: *Ad quos prædictorum omnium cognitio ex Sancti Concilii Tridentini autoritate tantum pertinet, feriantur.*

TIT. de *Examine*, sive *scrutinio*, quoad promotionem ad Beneficia, sub penâ nullitatis, observari jubet formam à Concilio Tridentino præscriptam, & Decretum ejusdem circa collationem Paræciarum per concursum, è verbo ad verbum refert.

TIT. de *Seminariis* factus est ad executionem Decreti Tridentini circa Seminaria, ut apparet, non solum ex similitudine, sed etiam ex eo, quod expressè dicat: *Itaque, ex ipsius Sacri Concilii Tridentini autoritate, Seminarium* &c. & infra, *Nos ex ejusdem Concilii Tridentini autoritate, ipsi Seminarium* &c.

TIT. de *Monasteriis*, Synodus non solum decernit observationem aliquot Decretorum Concilii Tridentini circa

Ordines.

Matrim.

Episcopi.

Canonici.

Parochi.

Regulares.

circa

circa Regulares, eaque refert, laudato nominatim Concilio, ut videtur §. *quicumque* & §. *hortamur*; sed etiam dicit, *Omnia ejusdem Sanctæ Synodi Tridentinæ Decreta de Regularibus & Monialibus, non minus accuratè in omnibus Monasteriis observentur, ac si in his Constitutionibus nostris essent inserta.*

Libri. Eadem Synodus Tit. de *Scholis*, præcipit executionem Decreti Tridentini vetantis, ne imprimantur Libri sine Autoris nomine, & approbatione; & Decreti circa Editionem; & præterea, ut omnes Beneficiati, & maxime Curati, ad eam convenirent. Ibidem laudat expressè Concilium Tridentinum circa Electionem Scrutatorum, quæ singulis annis in Diocesanâ Synodo fieri debet: *In singulis Synodis anniversariis sex Examinatores, sive Sæculares, sive Regulares, juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta instituantur.*

Tit. de *Jurisdictione*, referuntur Decreta Tridentina circa rectum usum Monitoriorum & Excommunicationis: item, circa reservationem concessionis illorum ad Episcopum.

Tit. de *Synodis Diocesanis*, Concilium Tridentinum laudatum videtur, inter Concilia, quæ Synodum Diocesanam præcipiunt: namque unum ex illis est, quæ eam statuerunt; & præterea, ut omnes Beneficiati, & maxime Curati, ad eam convenirent. Ibidem laudat expressè Concilium Tridentinum circa Electionem Scrutatorum, quæ singulis annis in Diocesanâ Synodo fieri debet: *In singulis Synodis anniversariis sex Examinatores, sive Sæculares, sive Regulares, juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta instituantur.*

Archiepiscopus Burdigalensis, in Epistolâ hujus Synodi promulgatoriâ, significat, eam habitam fuisse, ad procurandam in Provincia executionem Decretorum reformationis Tridentinæ; *Ut Ecclesiasticæ remisso Discipline, dissolutioque salutaribus tandem Provincialis Concilii Decretis, ex ejusdem potissimum Concilii Tridentini præscripto reformaretur.*

## CAPUT VI.

## Concilium TURONENSE.

Concilium hoc an. 1583. habitum, Tit. de *Baptism.* executionem Decreti Tridentini numerum Patrinorum, necnon Cognationem spirituales restringentis decernit, non laudato Concilio. Eadem Synodus Tridentinum sequitur in eo, quod jubet, circa Matrimonium clandestinum, illudque laudat sub nomine Conciliorum, quæ hoc damnarunt; *Idcirco dictorum Conciliorum vestigis inhærentes, & infra districtè precipientes omnibus Ordinariis, ut cum primùm poterunt, curent Decreta Sanctorum Conciliorum de clandestinis matrimoniis populo publicari & explicari, in singulis suarum Dioceseon Paroecialibus Ecclesiis. Cum aliud non sit Concilium præter Tridentinum, quod sua Decreta contra matrimonia clandestina in Paroeciis publicari jusserit, & de quodam novo & speciali Decreto agatur, cujus publicatio non erat libera; valde credibile est, hunc Synodi Turonensis locum de Tridentino intelligendum esse, eo magis, quod adjiciat, se velle, ut 30. diebus post publicationem, matrimonium extrâ præsentiam Parochi duorumque aut trium testium celebratum, sit nullum, quod à solo Tridentino cautum fuit. Eodem Titulo refertur aliud Tridentini non laudati Decretum, quo nuptias benedici certis temporibus prohibetur.*

E Tridentino sumptum videtur ejusdem Synodi Statutum Tit. de *Sacram. Ord.* circa publicationem promotionis futuræ ad Ordines. Equidem nonnulla Concilia Provincialia Concilio Tridentino anteriora eandem publicationem instituerunt; verim ea forsitan nota non fuere Synodo Turonensi; namque illa sunt Germanica; non autem potuit ignorare Decreta Concilii Tridentini. Ut ut sit, neque Tridentinum, neque alius fons, in quo Turonensis haurire potuit hic designantur.

Synodus loquendo de Canonicis, multa decernit, quæ ex Tridentino videntur accersita, nec tamen hoc laudatur. Talia sunt 1. Statutum circa ætatem Dignitariorum, Curatorum, nec non Canonicorum Eccle-

Tom. I.

siarum Cathedralium; 2. Statutum ut tertia pars redditus Præbendarum convertatur in distributiones. 3. Statutum circa institutionem Penitentiarii, siquidem in eo requirit easdem qualitates ipsique idem privilegium indulget. 4. Statutum circa munera Theologorum Tridentino conforme.

Titulo de *Paræcis* plurima fit atque expressa Tridentini mentio, ubi agitur de obligatione recitandi Breviarium omnibus Beneficiatis impositâ, necnon iis, qui in Sacris Ordinibus constituti sunt; nam dicitur, eos debere illud recitare juxta usum Breviarii jussu Tridentini confecti. 2. Ubi prohibetur, ne peccatores publici Sacrum celebrare sinantur, neve quis ipsi interfit: *secundum Concilii Tridentini Decreta*; 3. Cum novis Sacerdotibus præcipitur, ut primam Missam celebrent intra sex priores Menses promotionis suæ, sub pœnâ privationis fructuum sui Beneficii, *Concilii Tridentini Decreta insequentes.*

Referuntur quoque aliquot Decreta Tridentini non laudati: illud, puta, quo cavetur, ut certus Examinatorum numerus in singulis Synodis Diocesanis eligatur, qui discutiant aspirantes ad Beneficia Curata, & aliud circa Residentiam Curatorum.

Eadem Synodus, agendo de Regularibus & Monasteriis eandem præfinit ætatem Professioni Religiosæ, quam Tridentina & requirit similiter unum probationis annum, nullâ Concilii factâ mentione.

Loquendo de Monialibus Tit. XVII. plura alia ejusdem Tridentini non laudati Decreta refert. Talia sunt illud, quo 40. anni requiruntur in Abbatissâ, & 8. saltem anni professionis: Illud, quo excommunicantur ipso factò, qui coegerint fœminas ad profitendam Religionem, vel impederint, quominus profiterentur, necnon eorum coadjutores. Item Decretum circa reclamationem contra Vota, & illud, quo statuitur, ut Episcopus ante habitus susceptionem, iterumque antè Professionem puellas exploret.

Eadem Synodus, loquendo de Seminariis, expressè laudat Decretum Tridentinum circa hanc rem; nam jubet, ut illa in singulis Diocesebus instituantur juxta præscriptum Tridentini.

Denique, scribendo ad GREGORIUM XIII. suaque gesta exponendo, & eorum confirmationem petendo, dicit, *habebit ergo Sanctitas tua tuorum humillimorum servorum Turonensis Provincie Patrum Decreta è Concilio Tridentino Oecumenico excerpta, pro temporis instanti usu, conditione, & necessitate adeo accuratè & exquisitè per nos excerpta, ut nec majore studio, nec magis in omnium Provincialiarum utilitatem fieri potuerint.*

## CAPUT VII.

## Concilium Bituricense 1584.

Epistola convocationis hujus Concilii docet ejus positum fuisse, non solum exequi Decretum Tridentini jubens, ut Concilia Provincialia celebrarentur, sed multo magis amplecti firmiter ejus Decreta &c. *Piè & prudenter universalis Tridentina Synodus... statuit, ut Synodi Provinciales celebrarentur... ut eodem spiritu Pastores simul congregati amplectantur, observent, explicent, suisque observanda proponant.*

Sed, licet hæc Synodus non monuisset sibi propositum fuisse, procurare executionem Decretorum Tridentini, id satis ex ejus Canonibus nosceretur; nam plures ex illò desumpti sunt, quod indicat illud frequenter laudando. Quatuor sunt exempla in Tit. III. Primum, in Cap. 3. ubi datur summa Decretorum, quæ vetant prædicare sine licentiâ Episcopi, vel quæ correctioni subjiunt eos, qui prædicant errores aut res scandalosas. Alterum Cap. 5. ubi refertur Decretum prohibens, ne Presbyteri, vel Monachi errantes prædicare sinantur, nisi ab Ordinario approbati fuerint. Tertium in Capite 6. ubi cum Tridentino prohibetur, ne Quæstores ulli collectas

N 3

faciant